



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

14. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

IN LVCÆ CAP. 2.

14. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis.*

Incarnati-
onis
Domini-
cæ finis.

Joan. 16.

Bona vo-
luntas
hoc loco
quæ.

INCARNATIONIS Dominicæ quasi finem & scopum hic cantus Angelicus tribus verbis exprimit. Primum est *Dei gloria*, ad quâ omnia diriguntur. Secundum est, *pax in terra*, non temporalis sed spiritualis & felicissima, inter homines videlicet & Deum: facta reconciliatione humani generis cū Deo, & illa animorum pace constituta, quam Christus ex mundo abiturus suis dedit, dicens: *Pacem meam do vobis*, &c. Tertium exponit quibus hæc pax per Christum conferenda sit. Nempe non omnibus hominibus, nec credentibus tantum, sed *hominibus bonæ voluntatis*, rectis & simplicibus, quales isti pastores erant. Bona autem voluntas sola ponitur, vnde quis rectus & bonus dicatur, quia voluntas cæteras potentias mouet ad operandum, & principium actuum ac proximum totius boni operis est bona voluntas.

Displicet hæc Euangelica doctrina hæreticis nostri temporis, ideoque hanc lectionem nostram ab Erasmo admoniti vitiosam & corruptam esse clamitant. In Græco quippe, non in genitiuo sed in nominatiuo legitur illa vox quâ noster interpret vertit, bonæ voluntatis: *εὐδοκία*. Sed & ipsam vocem Græcam negant prorsus authore Erasmo significare in Scripturis bonam voluntatem in homine, sed vel ipsum Dei beneplacitum erga homines, vel certè mutuam quandam inter homines amicitiam, idque rarissimè. Sed non omnia vidit Erasmus, quem hoc in loco infeliciter iterum

rum sequutus est Cornelius Iansenius ; diserte affirmans hanc vocem nunquam tribui hominibus respectu Dei. Nam ad Philipp. cap. 1. vbi legitur, *Quidam propter bonam voluntatem Christū prædicant*, (quæ haud dubiè bona voluntas fuit respectu Dei, & propter honorem Dei) Græcè est *ἡ εὐδοκία* : & ad Roman. 10. vbi Paulus dicit, *Voluntas quidem cordis mei, & obsecratio pro illis fit ad Deum*, vbi de sua bona voluntate purèq; erga Iudeos charitate, non amicitia humana, loquitur, Græcè est *ἡ εὐδοκία τῆς καρδίας ἐμῆς*. Falluntur ergo qui Erasmus sequuti vocem Græcam hoc loco non bonam in homine voluntatem, sed Dei tantum erga homines beneplacitum, significare volunt. Exclamat quidem hoc loco Calvinus & dicit. *Vnde factum sit ut obreperet genitiuus casus nescio. Certè lectio vulgata quæ habet, Hominibus bonæ voluntatis, non modò tanquã adulterina repudiari debet, sed etiam quia totum sensum corrumpit.* Sed contra Calvinum Beza ipse sic scribit. *Ad me quod attinet, quamvis in omnibus exemplaribus Græcis legerim εὐδοκία in nominatiuo, & ita sim interpretatus, tamen Origenis, Chrysostomi, veteris interpretis auctoritatè, ipsam denique rationem sequutus, non recusè legere εὐδοκίας in genitiuo, & totam hanc orationem in duo membra partiri, hoc modo: Gloria in caelis altissimis Deo, & in terra pax in hominibus dilectis vel complacitis.* Hæc ille, exponens verbum *εὐδοκίας* de bona voluntate & beneplacito Dei erga homines; nõ de bona voluntate in ipsis hominibus. Cæterum Græci illi Patres à Beza citati, Origenes homil. 13. in Lucam, & Chrysostomus homil. 36. in Matth. in serm. de ascensione Domini, & homil. de Natiuit. Domini, quibus adde eundem Origenem homil. 1. in Matth. & contra Celsum lib. 1. & eundem Chrysost. homil. 2. in Matth. ope-

Caluinū
Beza cor-
rigit.

ris imperfecti, & homil. 35. de natiuit. Christi, D. quoque Hieronymum in cap. 2. Eſaiæ, & Auguſt. ad Simpli. lib. 1. q. 2. nō ſolū in genitiuo legunt ſicut noſter textus habet, ſed præterea de bona voluntate in hominibus exponunt, docentes pacem quam Chriſtus attulit, non niſi in bonæ voluntatis hominibus reſidere, quia iſta bona voluntas in credentibus effectus eſt pacis quam Chriſtus attulit. Sanè in genitiuo caſu omnes veteres Latini Patres conformiter hæc verba legunt, quoties hunc locum tractant, vt ipſemet fatetur Beza. Non igitur lectio vulgata, ſed impius Caluinus aliique nouatores totum huius loci ſenſum corruperunt.

37. *Non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruicens die ac nocte.*

Ieiunium
ad Dei
cultum
pertinet.

DO CET hic locus ad Dei cultum ieiunia pertinere non ſecus atque obſecrationes, quum de utroque dicatur Anna vidua Deo ſeruiffe, id eſt, Deam coluiſſe. Vt ut enim Lucas verbo *λατρεύσας*, vnde latrìa, quæ cultum ſupremum & Deo proprium ſignificat. Non tulit huius loci doctrinam Caluinus, ideòq; eius puritatem ſuo fermento contaminare voluit. *Sapere eſt* (inquit) *ſcrupulus, quòd videtur Lucas partem diuini cultus in ieiunijs ſtatuerè. Sed notandum eſt, ex operibus quæ ad Dei cultum ſpectant, alia ſimpliciter requiri, & per ſe eſſe neceſſaria; alia verò quæ accedūt, referri in hunc ſmè, vt prioribus illis ſubſeruiant. Precationes ad Dei cultum propriè faciunt, ieiunium verò inferius ſubſidium eſt. Sit hæc diſtinctio vera: ex ea tamen diſertè ſequitur, partem diuini cultus in ieiunijs poni, quia ſubſidium quoddam eſt precationū quæ ſimpliciter ad Dei cul-*